

einzelu wiederholten Bedingungen und Vorbehalten des Abtretungsvertrags in Betreff des Hospitals sich einverstanden. Testes — huius rei sunt domini de Donin Ot. et Ot. Heide et Junge, dominus Vlmannus de Plawin, dominus Henricus plebanus de Clozcowe, dominus Zlauco gardianus in Suselitz, frater Ot. gardianus in Dresden, frater Ny. lector ibidem, frater Alexius visitator dominarum in Suselitz et alii quam plurimi fide digni. Datum Dresden a. d. M^o CCC^o XXIX^o in Epiphania domini.

Orig. mit dem am Rande beschädigten Stadtsiegel im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.
Weck Dresden S. 196. — Hasche Urkundenb. S. 104.

No. 43. 1332. 14. Mai.

B. Withego von Meissen bestimmt die Verpflichtungen der beiden Altaristen der neugestifteten zwei Altäre in der Nicolaiikirche insbesondere auch gegen den Pleban Michael zu Dresden und dessen Nachfolger und trifft Anordnungen über die Kleidung derselben an Sonn- und Festtagen.

Nos Withego dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis tenore praesentium recognoscimus et publice profitemur, quod cum de consensu nostro speciali accedente etiam ad hoc voluntate capituli nostri ac ex promissione domini Michahelis plebani in Dresden ad augmentum cultus divini duo altaria in ecclesia sancti Nicolai Dresdensi noviter sunt constructa pariter et dotata, volumus et sub bono obedientiae distincte mandamus, ut rectores eorundem altarium qui pro tempore fuerint dicto domino Michaheli plebano ibidem et successoribus suis plebanis in Dresden canonicum ingressum habentibus in ecclesia memorata exhibere debeant reverentiam et honorem et quod tamquam boni cooperatores et ministri ipsius ecclesiae eidem domino Michaheli et successoribus suis plebanis in Dresden in confessionibus audiendis et sacramentis ministrandis cum necesse fuerit et requisiti fuerint praestare debeant animo libenti subsidium oportunum. Volumus etiam ut iidem altarium praedictorum rectores vesperis et missis in solempnitatibus et diebus dominicis ac festivis superpelliciis sint induti, sicut et alii praedictae ecclesiae capellani, et in processionibus in praedictis solempnitatibus festivis diebus dominicis et etiam in rogationibus sint praesentes cum aliis capellanis et ut praemissum est superpelliciis induantur. Item quod diebus singulis missas per se vel per alios, nisi ipsos causa rationabilis impediret vel excusaret, debeant celebrare legendo vel cantando prout dicto plebano videbitur expedire. Si vero in huiusmodi observandis inobedientes exstiterint, quod absit, tunc dictus plebanus in Dresden vel qui pro tempore fuerit auctoritate nostra et archidiaconi Nizicensis per censuram ecclesiasticam ipsos compellat ad observantiam praedictorum. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum Dresden quinta feria post dominicam qua cantatur Jubilate anno domini M^o CCC^o tricesimo secundo.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem beschädigten Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

Hasche Urkundenb. S. 110.